

GIURISPRUDENZA

SUPREME TRIBUNAL OF THE APOSTOLIC SIGNATURA, Prot. n. 51677/16 CA, *Restrictionis exercitii ministerii sacerdotalis* (Rev.dus X – Congregatio pro Clericis), 28 februarii 2020.*

Prot. n. 51677/16 CA
Prohibitionis exercitii ministerii sacerdotalis recognoscendae
(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VI, die 8 octobris 2019, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, Praefecto, Zenone Card. Grocholewski, Raimundo Leone Card. Burke, Ponente, Exc.mis et Rev.mis Stanislaw Zvolenský et Francisco Daneels, O. Praem., atque intervenientibus Cl.mo Andrea Errera, utpote Patrono Recurrentis, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis, atque Rev.do Iosue Guillory, Promotore Iustitiae deputato, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

* After the texts and the corresponding translations of the two definitive sentences of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, the reader can consult the comment by WILLIAM L. DANIEL, *The Faulty Execution of a Definitive Sentence Declaring the Illegitimacy of a De facto Penal Decree*.

FACTI SPECIES

1. Rev.dus X, die 14 octobris 1946 natus et die 28 februarii 1976 ad sacerdotium evectus, officium vicarii paroecialis primum usque ad diem 1 iulii 1977 in paroecia Y in Archidioecesi N et postea usque ad diem 1 iulii 1980 in paroecia Z obiit. Studiis dein iuris canonici apud Pontificiam Universitatem W in Urbe incubuit, titulo Doctoris in Iure Canonico anno 1994 ornatus.

Mense ianuario anni 2009 Rev.dus X accusatus est a D.na R, nata P, de violatione sexti Decalogi praecepti cum ea anno 1976 patrata, quae tunc sexdecim iam annos agebat. Consilio Commissionis Archidioecesanae, v.d. *Archdiocesan Review Board*, recepto, Exc.mus Archiepiscopus N praevidiam decrevit investigationem. Qua admodum summarie peracta, praedicta Commissio die 12 martii 2009 inter alia tria statuebat: accusationes contra Rev.dum X credibiles esse; ex can. 2359, § 2 Codicis tunc vigentis de delicto cum minore patrato non agi, quia D.na R tunc iam sexdecim annorum aetatem attigerat; Exc.mum Archiepiscopum Rev.dum X ab officio paroeciali arcere debere, rationibus tamen haud expressis. Qua sententia recepta, Exc.mus Archiepiscopus a Rev.do X renuntiationem ab officio parochi, occursu die 23 aprilis 2009 habito, petiit atque accepit. Postea, litteris scilicet die 20 maii 2009 datis, petitiones in praefato occursu Rev.do X porrectas scripto attestatus est, residentiam eius nempe apud S et celebrationem sanctae Missae sine populo.

Litteris ad Exc.mum Archiepiscopum die 13 augusti 2009 datis, Rev.dus X longe fuseque suam defensionem exhibuit atque, Exc.mo Archiepiscopo silente, ad Congregationem pro Clericis die 13 novembris 2009 provocavit.

Interea, interveniente etiam Congregatione pro Doctrina Fidei, Exc.mus Archiepiscopus prohibitiones ministerio Rev.di X impositas acrius statuit, litteris nempe diei 23 martii 2010, quibus, firmis manentibus dispositionibus de quibus in litteris diei 20 maii 2009, praefatum Rev.dum prohibuit celebrationes baptismi vel matrimonii praeparare atque confessiones audire.

Pluribus instantiis a Rev.do Recurrente porrectis, Exc.mus Archiepiscopus decretum tandem, die nempe 15 iulii 2010, ad rem tulit, quo se certum dixit de substantia delicti contra sextum Decalogi praeceptum patrati, praescripta can. 1348 necnon art. 9 *Normarum Essentialium* invocavit ad suspensionem administrativam recte statutam declarandam, modum quo Rev.dus X petitiones ab auctoritate archidioecesana porrexit sacramenta quaedam celebrandi vel quoddam ministerium exercendi reprobat atque finefinaliter prohibitiones iam latas confirmavit, ac in specie prohibitionem ab omni ministerio ecclesiastico exercendo.

Quod adversus decretum Rev.dus X ad Congregationem pro Clericis diebus 29 iulii et 22 octobris 2010 provocavit, quae

rem ad Congregationem pro Doctrina Fidei die 21 ianuarii 2011 detulit, quae sua vice die 12 aprilis 2013 animadvertit rem non esse suae competentiae.

In cassum censis propositis Rev.dum X e statu clericali dimittendi per facultates speciales Congregationi pro Clericis nuper tributas, die tandem 7 iulii 2015 Rev.mus Vicarius generalis N decretum tulit, quo, re ab imis denuo pertractata, causae seu rationes decreti illustrantur atque finaliter peraccuratum prohibitionum indicem praebet, quo ministerium ecclesiasticum ex toto prohibetur, addita clausula officium saeculare quaerendi ad remunerationem archidioecesanam erga seipsum relaxandam. Quae prohibitiones ac dispositiones omnes decretae sunt ad quinquennium.

Quod adversus decretum, ab Exc.mo Archiepiscopo die 13 augusti 2015 confirmatum, recurrit Rev.dus X ad Congregationem pro Clericis atque, recursu die 31 martii 2016 reiecto, ad hoc Supremum Tribunal die 18 aprilis 2016 provocavit.

2. Quod Supremum Tribunal, praehabitis memorialibus Cl.morum partium Patronorum necnon voto pro rei veritate a Rev.do Promotore Iustitiae deputato confecto, re sedulo examini subiecta, in Congressu coram Em.mo Praefecto die 14 septembris 2018 habito, recursum decrevit ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admittendum esse atque admitti. Dubium inde, die scilicet 5 octobris 2018, concordatum est sub hac formula:

«An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 31 martii 2016 latum».

Re rite inter Cl.mos Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiae deputatum discussa, Nobis nunc dubio concordato respondendum est.

IN IURE ET IN FACTO

3. Iuxta communem et constantem H.S.T. iurisprudentiam, iudicii contentiosi administrativi obiectum decisio exstat Dicasterii Curiae Romanae, qua actum administrativum tulit vel probavit.

Nostro proinde in casu primo et principaliter decretum impugnatum examini subiciendum est, decisio scilicet a Congregatione pro Clericis die 31 martii 2016 lata, iuxta quam, Rev.do Recurrente legitimis prohibitionibus obtemperandi recusante ac scandalum inde dante, legitimae sunt restrictiones decreto die 7 iulii 2015 lato impositae: «In this case, this Dicastery holds that, the recurrent has refused to observe the lawfully imposed dispositions and limitations and has caused scandal. It is therefore lawful [...] to impose such limitations as indicated in the decree of 7 July».

Duo proinde inseparabiliter conexa subicienda sunt nostro discrimini, an scilicet in casu violationes legis in procedendo vel in decernendo habeantur, id est asserta legitimitas prohibitionum ab Exc.mo Ordinario N impositarum et pa-

riter asserta earundem negligentia ex parte Rev.di X.

De prohibitionum legitimitate

4. Inprimis videndum ergo est de prohibitionum impositarum legitimitate. At de quibus prohibitionibus seu dispositionibus agatur ante omnia decernendum est. Nam in actis perplura decreta ad rem exstant, saltem epistolae dierum 20 maii 2009 et 23 martii 2010, decretum diei 15 iulii 2010 necnon decretum diei 7 iulii 2015.

Satis est hic recolere prohibitiones novissimas in decreto apud Congregationem ultimo impugnato: agitur de prohibitionibus quae sequuntur, iuxta numeros in ipso decreto appositos:

1. prohibitio litteras commendatitias obtinendi de quibus in can. 903, ac prohibitio proinde celebrandi Sanctam Missam, nisi nemine adstante;

2. prohibitio praedicandi;

3. prohibitio confessiones audiendi, salvo praescriptis cann. 976 et 986, § 2;

4. prohibitio sacramentum Unctionis infirmorum celebrandi, consensu ad hoc explicite Exc.mo Archiepiscopo vel eius Delegato reservato;

5. prohibitio matrimonio assistendi, delegatione ad hoc explicite Exc.mo Archiepiscopo vel eius Delegato reservata;

6. prohibitio baptismum celebrandi, licentia ad hoc explicite Exc.mo Archiepiscopo vel eius Delegato reservata;

7. prohibitio spiritualem directionem

exercendi vel munus consilarii obeundi, necnon munera directiva in ecclesiasticis institutionibus exercendi;

8. prohibitio sese uti sacerdotem proferendi ac proinde habitum ecclesiasticum deferendi;

9. prohibitio quibuscumque minorum coetibus assistendi, nisi sub vigilantia;

10. prohibitio manendi absque menstrua relatione ad officium archidioecesanum ad rem deputatum;

11. prohibitio alibi degendi ac in loco ubi Exc.mus Archiepiscopus statuit.

Distinguatur haud oportet in casu inter has prohibitiones, aliae iam ab initio impositae, aliae autem, uti exempli gratia quae sub numeris a septimo ad undecimum recensentur, tantum in decreto ultimo impugnato; nam omnes ad accusationem de asserto abusu sexuali referuntur.

Quae prohibitiones tamen violatione legis in procedendo et in decernendo afficiuntur.

5. Violatio habetur inprimis in procedendo. Exc.mus enim Archiepiscopus N et Congregatio pro Clericis ne verbum quidem protulerunt circa gravia argumenta a Rev.do X allata contra accusationem: quod est defectus motivorum, quibus ad normam can. 51 quodlibet decretum muniri debet.

6. At violatio in casu habetur praesertim in decernendo, quia prohibitiones tam momentosae nituntur tantum asserta accusationis credibilitate a Commis-

sione archidioecesana et ab Exc.mo Archiepiscopo habita: accusationes «were held to be credible by the Archdiocesan Review Board and the Archbishop».

Nullo pacto prohibitiones impositae super hoc fundamento, sola nempe accusationis credibilitate, sustineri possunt. Hoc saltem prohibent ipsissimae normae ab Exc.mo Archiepiscopo invocatae, praescripta scilicet can. 1348 et art. 9 *Normarum Essentialium*.

Non sufficit can. 1348, qui recitat: «Cum reus ab accusatione absolvitur vel nulla poena ei irrogatur, Ordinarius potest opportunis monitis aliisque pastoralis sollicitudinis viis, vel etiam, si res ferat, poenalibus remediis eius utilitati et publico bono consulere». Vel ceteris praetermissis, sat est animadvertere quam longe distant prohibitiones in casu impositae a «monitis aliisque pastoralis sollicitudinis viis» et «poenalibus remediis», uti quodlibet Codicis commentarium aperte docet. Quae omnia et H.S.T. iurisprudencia adnotavit: «Interdum tamen obvenit quod Ordinarius in hisce rerum adiunctis in locum medii pastoralis vel remedii poenalis, scilicet monitionis vel correptionis (cf. can. 1339, §§ 1-2), presbytero impune dimisso irrogat per viam provisionis administrativae graves prohibitiones vel privationes, poenis expiatoriis aequivalentes, quae eum ad instar delinquentis afficiunt aut in perpetuum aut in tempus praefinitum aut in tempus indeterminatum (cf. can. 1336, § 1)» (sententia definitiva, *coram* Stankiewicz, die 26 ianuarii 2019, prot. n. 52041/16 CA, n. 11).

Nec ad rem sufficit art. 9 *Normarum Essentialium*; liceat ad rem animadversio Congregationis pro Doctrina Fidei eidem Exc.mo Archiepiscopo, iam litteris die 29 septembris 2009 datis, proposita: «The suspicion raised by a credible allegation does not rise to the level of certitude required to invoke Article 9 of the *Essential Norms*».

Certitudine morali haud adepta de accusatione, satis patet prohibitiones Rev.do X impositas violatione legis in decernendo affici, quin sit necessarium immorari aliis rationibus illegitimitatis, uti exempli gratia, haud servata proportione inter prohibitiones impositas et assertum factum, delictum iure canonico et lege civili territorii haud constituens, quin quidquam id genus per triginta circiter annos Rev.do X tributum sit.

De prohibitionibus impositis inoboedientia

7. Alterum obiectum examini subiciendum est, asserta Rev.di X inoboedientia prohibitionibus eidem impositis, quae inoboedientia iuxta impugnatum Congregationis decretum ratio sufficiens, scilicet legitima, exstat prohibitionum ultimo impositarum.

8. Indici tamen inoboedientiarum in impugnato Congregationis allato, Congregatio pro Clericis tantum opponit Rev.di X inanes artefactas excusationes, litte-

¹ [Translator's note: for the full text of the cited definitive sentence, see «Ius Canonicum» 63 (2023), pp. 381-400.]

ram iuris detorquentes, ad proprias actiones iustificandas («stilted excuses involving contortions of 'the letter of the law' to justify his actions»), quin ullo modo defensionem Rev.di X rite respondeat. Quod tenendum est violatio legis in procedendo ex parte Congregationis, quippe quae ne summariam quidem probationem inoboedientiarum protulerit nec aestimationem defensionum allatarum peractam demonstraverit.

9. At plus est violatio legis in decernendo quae in casu habetur. Quae violatio elucet ex his praecipuis elementis.

In primis ipsa Congregatio pro Clericis agnoscere cogitur indicem prohibitionum haud clare statutum esse ab initio; nam, iuxta impugnati Congregationis decreti tenorem, Exc.mus Ordinarius N decreto ultimo edito, die scilicet 7 iulii 2015, magis clare statuit limites prohibitionum («and more clearly established the terms of this limitation by the decree of July 7th»).

Insuper inter prohibitiones impositas quaedam recensentur nullam secumferentes relationem cum ministerio ecclesiastico, cuius exercitium prohiberi asseritur. At impugnatum Congregationis decretum hanc necessariam distinctionem omisit.

Finefinaliter, quidquid est de animadversionibus supra propositis, servata haud apparet proportio inter quasdam fortasse inoboedientias Rev.di X et prohibitiones eidem Rev.do Viro decreto die 7 iulii 2015 impositas. Iuxta H.S.T. constantem iurisprudentiam,

enim, ad legitimitatem restrictionum extra ambitum poenalem imponendarum, aequa semper proportio habenda est: «Iamvero, ad evitandas onerosas ambiguitates potissimum vero ad praecavendam arbitrariam decidendi rationem ex parte Auctoritatis ecclesiasticae, iurisprudentia H.S.T. in dimetienda illegitimitate actus administrativi sequitur proportionis principium vel criterium, quod iam pridem in ius poenale ingressum est cum conceptu poenae retributivae, seu proportionatae nefario agendi modo delinquentis, servata inde aequa proportionem inter sanctionem poenalem et delictum (cf. can. 2218, § 1 CIC 1917). Quam ob rem vi huius principii quodvis decretum administrativum aequam proportionem servare debet cum eius motivis seu causis, quae praecedentem rationem sese gerendi partis recurrentis exprimant» (sententia definitiva, *coram* Stankiewicz, 16 ianuarii 2016, prot. n. 48503/13 CA, n. 8). De qua legitima proportionem iudicium H.S.T. reservatur: «In primis in mentem revocandum est ad H.S.T., iuxta legis praescripta atque communem iurisprudentiam, iudicium pertinere etiam de violatione legis in decernendo ferendum, quin ex hoc discretio Auctoritatis ecclesiasticae propria laedatur; nam iudicium de legitima actionis Auctoritatis finibus, id est de inter causas et decretum proportionem, intra legitimitatis limites se continet» (sententia definitiva, *coram* Versaldi, 24 iunii 2014, prot. n. 47888/13 CA, p. 4).

¹ [Translator's note: for the full text of the cited definitive sentence, see «Apollinaris» 92 (2019), pp. 356-362.]

Quae principia clarius illustratur praescriptum quoque can. 1371, in ipso decreto diei 7 iulii 2015 ceterum relatum, quod cavet ut iusta poena puniatur qui aliter Ordinario «legitime praecipienti vel prohibenti non obtemperat, et post monitum in inoboedientia persistat» (can. 1371, n. 2).

10. Impugnatum Congregationis decretum tenet inoboedientiam prohibitionibus impositis scandalum provocavisse. De qua ratione plura animadvertenda sunt.

In primis reiciendum est argumentum ab Exc.mo Archiepiscopo adductum et a Congregatione pro Clericis relatum, iuxta quod praescriptum can. 223, § 2 Auctoritati ecclesiasticae administrativam permetteret suspensionem extra ambitum poenalem applicare; quod argumentum iam diu H.S.T. iurisprudencia refellit: «Ad rem haec sedulo notanda sunt: a) can. 223 concludit titulum "De omnium christifidelium obligationibus et iuribus"; b) canones huius tituli (208-223) proveniunt ex schemate *Legis Ecclesiae Fundamental*is; c) agitur in illo canone de moderamine illarum obligationum et iurium fundamentalium ad bonum commune tuendum; d) can. 223 tantum principium omnino generale proponit, cuius magis concreta determinatio proprie fit per actus potestatis legislativae, in primis et praecipue in ceteris normis ipsius CIC; e) quibus Episcopi non possunt derogare, secus actum esset de principio legalitatis et ianua pateret arbitrarierati [...] Adde quod potestas moderandi exercitium illarum obligationum et iurium haudquaquam aequari potest cum po-

testate idem exercitium tollendi [...] Quod si, nihilominus, ex quadam analogia illud principium omnino generale obligationibus et iuribus clericorum applicetur, utcumque praescindi nequit a legibus magis concretis ad rem pertinentibus, quae sua vice utpote normae generales applicandae sunt ratione habita circumstantiarum singularium uniuscuiusque casus concreti [...] iam patet haudquaquam sufficere in re invocationem can. 223 [...], immo non satis efferri potest periculum arbitrarieratis quod ingenua invocatio principiorum ibi propositorum secumfert» (sententia definitiva, coram Grocholewski, die 28 aprilis 2007, n. 14, in *Ius Ecclesiae* 19 [2007] 619-620; cf. etiam PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS, *Nota explicativa*, 8 decembris 2010, in *Communicationes* 42 [2010] 280-281).

Ceterum, illegitimitate prohibitionum ob haud servatam proportionem inter causas et decretum supra statuta, necessario ruit et legitimitas earundem prohibitionum sub specie scandali timendi (cf. sententia definitiva coram Versaldi, die 29 novembris 2017, prot. n. 50273/15 CA, n. 8; sententia definitiva, coram Stankiewicz, die 26 ianuarii 2019, prot. n. 52041/16 CA, n. 14).

Quoad damna reparanda

11. Rev.dus X reparationem reputationis, id est bonae famae, qua antea gaudebat necnon indemnitate ab expensis ad suam defensionem hac in causa necessariis petiit.

¹ [Trans.: For the full text of the cited definitive sentence, see «*Ius Canonicum*» 60 (2020), pp. 843-852.]

Vi art. 123, § 2 Const. Apost. *Pastor bonus* atque art. 34, § 2 *Legis propriae*, qua haec Signatura Apostolica regitur, Supremum Tribunal praeter iudicium de illegitimitate, «cognoscere etiam potest, si recurrens id postulet, de reparatione damnorum actu illegitimo illatorum».

Quae damnorum reparatio «non subicitur probato dolo aut culpa, sed necessarium consecretarium est unius declaratae illegitimitatis actus impugnati» (sententia definitiva, coram Pompedda, die 6 maii 2000, prot. n. 29240/98 CA, n. 16, in *Ius Ecclesiae* 30 [2018] 609).

Ad clausulam oeconomiam quod attinet, qua scilicet Rev.dus Vir septuaginta annos circiter agens ab Exc.mo Ordinario N invitabatur ad officium saeculare quaerendum, adeo ut remuneratio archidioecesana erga eundem minuere-
tur, hoc Supremum Tribunal nihil specialius animadvertendum censet, cum ipsa Congregatio pro Clericis praefatae clausulae vexativae supersedis-
set.

CONCLUSIO

12. Omnibus tum in iure tum in facto aeque rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubiis propositis respondendum esse decreverunt atque respondent:

Constare de violatione legis in procedendo et decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 31 martii 2016 latum.

Quoad damna resarcienda: a parte resistenti bona fama Rev.do Recurrenti modo apto restituenda est atque ei omnes expensae decursu causae factae et documentis comprobatae retribuentur.

Quoad expensas processuales cautio in arca H.S.T. deposita Rev.do Recurrenti restituatur. Pars vero resistens expensas causae et utrique Cl.mo Patrono congruum solvat honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 8 octobris 2019.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI,
Praefectus

Zenon Card. GROCHOLEWSKI

Raimundus Leo Card. BURKE, *Ponens*

✠ Stanislaus ZVOLENSKÝ

✠ Franciscus DANIELS, O. Praem.

Et notificetur.

Die 28 februarii 2020

✠ Iosephus SCIACCA
Episcopus tit. Fundanus
Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA
vices Praepositi Cancellariae gerens